

ESTC. Sheaf

Glasgow
University Library

VIA VERITAS VITA

David Murray Collection
1928

Mu l-c.41.

L 9.2

6/6

52 40

K

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b24921294

Subj

Place

Fontis Pr Index

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS,

DE

VITAE PRINCIPIO,

SANITATE ET MORBO.

KINGLAKE (Robert)
c

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA
INAUGURALIS,
QUAEDAM DE
VITAE PRINCIPIO, SANITATE ET MORBO
COMPLECTENS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI:

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,
Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;
IN COMITIIS
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS KINGLAKE, A. M.

ANGLUS,

Societ. Reg. Med. necnon, Societ. Phyſic. Americ. Edin. Soc.
et Lycei Med. Lond. Sod.

Ad diem v. Junii, hora locoque ſolitis.

Α'ποκρίνου δὴ ᾧ ἄν τί ἐγγένηται σώματι, ζῶν ἔσται.
Ω᾿ ἂν ψυχὴ, ἔφη. PLATO.

Naſci ergo de novo nihil, renaſci omnia, mutari compoſita neque interim elementa diſſolvi. BOERHAAVE.

GLASGUAE:
IN AEDIBUS ACADEMICIS
EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.
M.DCC.XCIV.

Mr William Taylour is requested to accept of this little performance as a small tribute of the Authors high esteem & best wishes.

GLASGOW
UNIVERSITY
LIBRARY

Amico ſuo

Eruditiſſimo ac Spectatiſſimo,

ANDREAE MARSHAL, M. D.

In Urbe LONDINENSI,

Rei Anatomicae et Chirurgicae

Praelectori;

ANIMI,

Ob multa in ſe collata beneficia

GRATI

In Teſtimonium,

Hocce, quantulumcunque ſit, Tentamen,

Ea, qua par eſt, obſervantia,

SACRUM

Eſſe voluit

ROBERTUS KINGLAKE.

PROOEMIUM.

PRIMUM ac ſimpliciſſimum vitae principii omnem materiam pervadentis characterem demonſtrare, atque innumeras variaſque vitae formas ad diverſam corporum quibus ineſt fabricam referre, hac in diſſertatione, eſt mihi propoſitum. Omnes igitur hoc opuſculum perlecturos oratos volo, ut huic rei praecipue animum advertant.

Ne exiſtiment, me dare operam cauſas exponere, a quibus pendent vitae modi vel formae, quae ſuis corporibus propria et accommodata ſunt, cavere oportet. Hic vero obſervare fas eſt, vitae principium et materiam cui ineſt, ſi ut res abſtractas conſideremus, omnino diſcrepare. Vitale enim principium in materiali corpore, aut veluti materia veſtitum vel inſtructum, omnes vitae functiones et effectus praeſtat. Utcunque vero varietur materia, aut quaſcunque novas et diverſas ſubeat formas ac mutationes, hoc vitae principium quod minime materiale eſt, nec mutari, nec extingui poteſt.

Eundem vitae modum eſſe in animalibus, vege-

tabilibus, et foſſilibus, aeque, ac eadem eſſe corpora aſſerere, abſurdum et falſum eſt.

Facile quidem conceditur, ut animalia, vegetabilia et foſſilia, naturas ac qualitates diverſas ſibique proprias habeant. Hae vero proprietates quadem vi actae, edunt effectus. Annon igitur, rationi rectae et naturae legibus magis ſit conſentaneum, ad opinionem accedere, vim vel vitae principium eſſe idem, omneſque ſuas diverſas formas ex fabrica corporum diverſa oriri, quam exiſtimare, ſingulas quas ſubit vita formas, a diverſo pendere principio.

Quidam chemici, omnem materiam utcunque forma diverſam, ex iiſdem conſtare principiis formaſque materiae varias, ex partibus ejus diverſe inter ſe conſtitutis ac diſpoſitis, fluere, credunt, nec magis dubitari poteſt, quin idem vitae principium omnia pervadat corpora.

Hiſce igitur praemiſſis, haud erit difficile, ut ſpero, quae, hac in diſſertatione, dicturus ſum, intelligere.

De opinione, jam in lucem proferenda, ſeu laude, ſeu reprehenſione digna, ſaepe ac multum mecum reputavi: ſententias nunc, de hac re, meas, qua decet rem adeo obſcuram veſtigare, ea animi diffidentia, eruditorum examini ſubjicio.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS

DE

VITAE PRINCIPIO.

VITAE principium, quo ſit praeditum omne vivum, ſub multis longeque inter ſe diverſis formis, per ordines animantium varios, oculis obverſatum eſt. De hoc autem principio, ut ſe reddit manifeſtum in ſuperioris ordinis animantibus, pauca tantum, hâc in diſſertatione, in animo eſt dicere.

Ab re alienum videretur, opiniones ac ſententias phyſiologorum omnium, a tempore quo vixit Hippocrates huc uſque diem, ingenioſe excultas et in lucem editas, diligenter inveſtigare. Hoc enim facto, nihil boni ſperare poſſumus; quoniam harum opinionum fautores plurimi, aeque ac opiniones, in oblivionem abierunt meritam.

Homines, ſententiis aliorum obſtricti, verae philoſophiae doctrinas excolere nequeunt: hiſce enim

ſententiis majorem addere vim, quam quid ſit verum, quid falſum in iis exquirere, magis ſtudent. Hâc ex cauſa, magna Medicae ſcientiae orta ſunt impedimenta.

Hippocrates, habitus vir ſagaciſſimus, inter antiquos eminebat, multaque per ſecula, famae ejus aemulari auſus eſt nullus. Perculſi admiratione, diſcipuli ejus, omnibus ab illo obſervatis fidem adhibuerunt certiſſimam: Simul autem fateri licet, Hippocratem, multa, de re medica, accurate deſcripſiſſe.

Ariſtotelis philoſophia, a medico antiquo Galeno exculta, verae ſcientiae progreſſui non minus obſtabat. Opinatus eſt ille, conditionem corporis animantis morbidam, ex imperio quatuor elementorum, originem ducere: atque ex quatuor temperamentis, et quatuor diverſis humoribus, ſtatum ſanguinis et qualitates mutantibus, morbos oriri omnes.

Van Helmontius demum, novam edidit opinionem. Finxit ille, conditiones corporis omnes, tum ſanas, tum morbidas, poteſtati principii intelligentis, cui nomen ARCHAEUS inditum, ſubjectas eſſe. Habitabat Archaeus in pyloro ventriculi; atque ex hoc ſolio, Archaeus princeps, ad exercendas ſuas func-

tiones, in omnibus corporis partibus, legatos miſit. Quicquid tamen deliravit, de hac re, Van Helmontius, opiniones ejus non omnino fuerunt inutiles: illae enim, rebus, inter naturae arcana, adhuc reconditis, quicquam luminis praebuerunt. Hoc enim lumine ducta, magna phyſiologorum ſequitur cohors, inter quos clariſſimi fuere Sthalius, Hoffmannus, Boerhaavius, Hallerus, multique alii, hodiernis temporibus, qui, labores ad excolendam medicam ſcientiam, ſumma ope exercuerunt. Ex eorum operibus, quibus nunc donata et aucta eſt haec ſcientia, derivantur incrementa omnia.

Ordinis, quo licet uti prius, quam argumentum hujus diſſertationis propoſitum aggredior, mentionem facere opus eſt. Pauca igitur in animo eſt dicere, De Vitae principio in corpore animanti.——De Irritabilitate.——De Senſibilitate.——De Actionibus corporis humani, tum generalibus, tum ſpecialibus, Vitam, et ſtatum corporis ſanum et morbidum, conſtituentibus.

DE VITAE PRINCIPIO IN CORPORE ANIMANTI.

Vis vitae in corpore animanti, totum pervadit corpus in quo exiſtit. Hoc quidem principium, minimis materiae omnis particulis, intime adhaeret; quumque in formas ſpeciales et certas diſpoſitum eſſet, ſenſibus fit manifeſtum. Hujus generis principium adeſſe

ſatis demonſtrant omnes, quos conſpicimus motus, ſive corporei, ſive intellectuales. Non omnino abeſt a materia in particulas ſubtiliſſimas reſoluta; atque nihil, de ea hoc principio privata, comprehendi poteſt. Vix aliud eſt magis perſpicuum, quam quo primum extitiſſet materia, haec vis vitae conditio quaedam ſeu qualitas naturae ejus fiebat, quae ab ea dirimi nequit. Hoc autem, de particulis minutiſſimis, aeque ac de innumeris diverſiſque formis, quas ſubit materia, obſervandum eſt.

Haec vis vitae, in corpore animali, verbis definiri non poteſt: ubique adeſt, et ubique agit in corpore ea praedito. Si aliquis ſe accinxerit, ad exponendam hujus principii naturam, vanum et quidem vix utile praeſtare conaretur. Rei enim adeo obſcurae parum lucis afferre ſperaret. Experimentis Chemicis inſtitutis, hujuſque principii analyſi facta, qua veram ejus naturam explicare poſſemus, difficillimum adhuc ſupereſſet. Optimo enim ſucceſſu talia comitante experimenta, quae ratio reddi poteſt, quomodo primariae materiae proprietates inter ſe convenientes, aut in unum conjunctae, notas vitae inſignes exhibeant?

Sunt qui, vim vitae in corporibus animantibus, ex AETHERE aut FLUIDO ELECTRICO conſtare.

exiſtimârunt. Alii vero, hiſce temporibus, hoc principium, Aëri puro vel OXYGENIO attribui debere, opinati ſunt: et quidem dubitari non poteſt, quin haec, qualiacunque ſint, ex ſingulari ſubtilitate, mira celeritate, ac diffuſili qualitate, effectus, actionibus vitae animalis ſimillimos edant. Aether, Electricitas, et Oxygenium totum corporis ſyſtema, mirum in modum, afficiunt: nemo vero, id, quod agit, et quod actum eſt, maxime diſcrepare, nunquam putabit.

Qualecunque ſit vitae principium per ſe conſideratum ac perpenſum, cauſis juſtiſſimis inferre debemus, ut Opifex rerum Sapientiſſimus quaedam inſtituit incitamenta, tantam vim adhibentia, quae omnibus corporis functionibus rite perficiendis neceſſaria ſit. Si vis vitae ad tales functiones praeſtandas a cauſis nec certis penderet, ratio vitae animalis, multo minus ſtatus corporis ſanus ſuſtineri non poſſet. Providens natura Oxygenium ad hunc finem dicavit. Hoc neceſſarium aptumque apparet, principio incitando, a quo pendet vita. Alia quoque incitamenta neceſſaria ſunt: Haec vero, vi quodammodo derivata, partibus machinae alicujus inferioribus ſimiles, edunt effectus. (*a*)

(*a*) Homo et aliae animantes, a mortuis ſe, aut alia quavis inanimi materia, ſola hac proprietate differunt, quod externis rebus,

Hoc vitae principium ſemper eſt idem: a nullis partibus conſtans, nulla vi auctum, ac nullis mutationibus ſubjectum, quibus notentur qualitates inconſtantes earum rerum quae ſenſus afficiunt.

Magni erit momenti, quae ſit differentia, obſervare, inter vim vitae ipſam, atque materiam tali modo diſpoſitam, et hac vi affectam, ut formam vitae ipſius ſpecioſam capiat. Haec vis vitae, ſuam ducit originem a Deo omnium Creatore; et quidem documenta Dei exiſtentiae certiſſima praebet. Ex ſua natura, extingui non poteſt. Materia, hac vi donata, in perpetuum formas diverſas, et multas mutationes ſubit; atque hoc modo, vita, mors, et novae formae ſe invicem ſuccedunt. Ab animalibus, plantis, et foſſilibus, plurima afferrentur exempla, quibus, quam longe lateque agit hujus vis vitae imperium, demonſtrari poteſt.

Homo, facultatibus corporis, et dotibus animi eximiis, inſignis, inter alia animantia vitae proprietates exhibentia, maxime effertur. Hunc ordinem animantium ſuperiorem occupavit homo, ex eo, quod fabrica ejus

et quibuſdam ſui propriis actionibus, ita affici poſſunt, ut propriae ipſis vivis ſuae actiones efficiantur: id facientes res externae potiſſimum et fere omnes ſunt calor, aër, victus, chylus, ſanguis, et hinc ſegregati humores: corporis ipſius actiones eodem officio fungentes, muſculorum contractio et cerebri in cogitando et affectus ciendo vis ſunt: his ſublatis mors certa; nihil fere aliud vitae neceſſarium.

Brown Elem. Med.

corporis exquiſita, proprietates vitae omnes, quibus donata, rite efficere aptiſſima eſt. Ex convenientia vitae materiae adhaerentis, omnes, quas contemplamur actiones vitae, explicare poſſumus.

Inter animalia ejuſdem generis, primum actiones vitae praeſtantia, maxima ſimilitudo obſervatur. Ita diſtributae, legibus naturae, variae vitae formae, ut, in Claſſes, Ordines, Genera et Species diſpoſitae ſint.

Capax mens hominis, quae ad principium vitae auctum, ac ſingulari modo, in ſua animali fabrica diſpoſitum, referri debet, ineunte aetate, ſagacitatis indicia haud parva exhibet. Primae hominis actiones ſimiles ſunt aliorum animantium actionibus: facultatibus enim mentis et corporis nondum evolutis, ſenſus reflexi iſtam non habent vim, quam, provectioribus vitae humanae ſtadiis, exercere ſolent. Poteſtati, in corporibus animantibus, haſce primas actiones efficienti, nomen INSTINCTUS inditum eſt. Haec poteſtas agendi inter omnia animantia manifeſte apparet; atque diverſitatem valde miram, ex variis vitae modis ac formis, ortam praebet.

Erroribus vulgi vacuus, philoſophus, proprio munere fungens, reſque examini omnes ſubjectas,

vel per ſe exiſtentes, vel cum aliis conjunctas, contemplans, magnam hujus principii ſimilitudinem, per ordines animantium innumeros, cernere poterit.

Exempla quaedam, inter varii generis animantia, appetitionem animi meram exhibentia, atque huic rei inveſtigandae apta, hic loci adducere opus erit.

Hoc vitae principium ſtimulari facile poteſt, vel ſi ita dicam, multum appetit. Cum vero ſtimulis afficiatur, effectus, legibus agendi in corpore animanti proprios, conſpicimus. Si vis vitae, qua guadent partes corporis muſculares, ad agendum excitetur, muſculi ita affecti, contrahunt, et quoſdam ſibi proprios effectus edunt. Cum autem, vitae principio generis Nervoſi adhibeantur ſtimuli, vel immediate vel non, animi conſcientia efficitur, qua, quod erat propoſitum, talibus mentis actionibus, obtineri poteſt. Hae omnes diverſae actiones, a conditione vitae principii, in ſua peculiari fabrica exiſtente, omnino pendent.

Mera animi appetitio, in adulto hominis ſtatu, raro occurrit: quia, hoc tempore, facultas rationis, qua praeditus eſt homo, variis rebus externis vitae neceſſariis, multum afficitur. Perfectiſſima poteſtas percipiendi ſummum hujus animi appetitionis con-

ſtituunt. Nulla, igitur, alia re, appetitio animi, omnibus inſita animantibus, atque ratio hominis perfecta inter ſe diſcrepant, quam quod, vitae principium in corpore humano, ſtimulis ad agendum facilius incitatum, modos ſentiendi diverſos perficiat, ex quibus oriuntur imaginandi, judicandi, recordandi facultas, aliaeque omnes mentis actiones.

Quo primam humanae rationis lucem, in medium proferamus, quod argumentum conſilii intelligentia imbuti certiſſimum praebet, exemplum afferatur. Infans jam in lucem editus, cibum vehementer appetit, et quibuſvis rebus ſibi oblatis, os adhibet. Infantis enim corpus, ſugendo, nutritur: naturaque providens, infantem, ratione adhuc imperfecta, ad hanc, pro ſuo nutrimento, actionem, ducit; qualitatem vero cibi ſalutiferam, aut quo loco inveniatur hic cibus, minime oſtendit.

Cum ex corpore ejiciatur urina aut faeces, cum muſculi recedant, et cilia occludant, aliquo vel muſculis vel oculis noxio oblato, hae omnes actiones, a quadam fabrica corporis, quae, vitalem vim, ad tuendum animal, reddit aptam, proficiſcuntur. Infantes, ineunte aetate, lucis radiis capti ſunt prius, quam hiſce fruentes, beneficia quam plurima percipere queunt. Status infantilis, aſpectum rationis ſimpliciſſimum,

atque a mente hominis adulti perfectiore diffidentem, clare demonſtrat. Mens quidem infantis, corpori ſimilis, paulatim viget et augeſcit: edere autem effectus proprios, idem perſtat principium. Varii animi affectus, hominem turbantes, ſummamque poteſtatem exercentes, vita adhuc immatura manente, initium imperii uſurpant.

In medium proferre, quam habet ſimilitudinem principii rationis ſingularem fabrica animalis vitae naturalis, brutis ex animantibus, plurima afferantur exempla.

Erucae ex arbore excuſſae, quamvis nunquam antea terram pedibus tetigiſſent, iter ad arborem illico faciunt, curſuque recto, et ſapientiſſimo conſilio, ſedem petunt priorem.

Avium pulli, ſonitum audientes inſolitum, praebent os apertum, non quia periculum iis invaſurum timent, ſed quadam animi appetitione affecti, ſe, ad accipiendum cibum, hoc modo, parant.

Catuli leonis, cum viribus creſcentibus, animum ferocem et immanem produnt. Bellum, hac aetate, aliis animalibus indicere fruſtra conarentur; et, pugna commiſſa, dum vires deficerent, victoria ſemper eſſet anceps. Catuli ac leo ipſe inter ſe differunt: huic enim vitae principium variatur et augetur, quod

diverſitatem actionibus cum ſua fabrica conjuncti facit.

Inſecta, conſilio mirando, tutiſſima et commodiſſima, ad deponenda ova atque nutriendam futuram progeniem, loca ſeligere obſervantur. Mos eſt papilionibus aliiſque inſectis herbas paſcentibus certiſſimus, ova pariendi in has plantas, quae propagini ſuae nutrimentum et latebras facillime praebent.

Quo conſilio, qua mirifica arte utentes, apes condunt favos! Artifex quidem callidiſſimus, geometria imbutus, opus accuratius et perfectius vix unquam poterit exequi. Cellas diverſae magnitudinis formatas, apibus laborem perficientibus, fucis, atque foeminis, dicant. Numero foeminarum certo, loca in alveario, partis ovis, definita complere licitum eſt. Cum vero hunc numerum exſuperaverint, pro univerſo totius populi commodo, de induſtria necantur.

Dum aves incubant ovis, cum maxima cura et ſpectabili diligentia, ova ſaepe vertunt, quo calore aequabilius, atque aëre puro liberius, fruantur. Huic rei, vitam ſuis poſteris largiendi, acriter incumbentes, ſuae ſalutis propemodum obliviſcuntur: ac grande patientiae indefeſſae documentum prodentes, libertatem, qua ſolent gaudere, per totum temporis

ſpatium, ad incubandum, neceſſarium, libentiſſime remittunt.

Aves quoque, ſordes pullorum ex nidis ejiciunt. Alias inter aves, ſpectatiſſima eſt Hirundo, quae, certis intervallis, pullos dejicere alvum, geſtu, voce, aliiſque ſignis ſolicitat. Hiſce ſignis obtemperantes, pulli, poſteriorem corporis partem, ad nidi marginem protrudunt: nec deſunt exempla, ubi mater ipſa faeces ex ano pullorum conata eſt extrahere, atque parva a nido diſtantia auferre. Quis, conſilio, quod curae tam providae ineſt, animum advertens, admirari abnueret?

Sunt qui, Struthionem ab hac lege, qua obſtricta ſunt animantia fere omnia, pro cura et ſalute progeniei, exceperunt Hic vero manifeſtum eſt conſilium ſapientiſſimum. Quamvis enim Struthio, in regione calida Senegalenſi, per diei tempus, ceſſat incubare, quia calor ſolis, in hac regione, tantus ſit, ut nullus, ad hunc finem, a matris corpore requiratur; ſole tamen occidente, quum opus ſit calore aucto, per noctem incubare perſtat: atque Struthiones ad Caput Bonae Spei habitantes, quae eſt regio frigidior, haud aliter ac aliae aves, dies noctesque, ovis incubant.

Veſpa, pro rato robore, onus exaequat ſuum.

Capite a corpore exciſo, ac corpore ipſo in portiunculas diviſo prius, quam comitem efferre mortuam ex nido conatur.

Bonnetus et Reaumerus obſervarunt, nymphas tinearum aquaticarum (anglice *cod bait*) ex ſuperficie corporis gluten ſecernere, quo ligni particulis, teſtis, aliiſque rebus adhaerent, ut aequilibrium in aqua ſibi acquirant. Ad hoc autem efficiendum, ſe ſummo conſilio parant, minuendo vel augendo, ut opus ſit, pondus ſui corporis, ut aequale ſit ponderi aquae, in qua vitam degunt, ſpecifico.

Plura quidem exempla, de hac re, in medium proferre poſſem. Haec vero jam dicta, prae ſe ferunt documenta certiſſima, materiam quadam vi rationis, ſuae peculiari fabricae apta et propria, imbutam eſſe, et quae ad dubitandum maxime inclinati, vel ingenioſiſſimi homines refellere nequeunt.

Sentiendi facultate donata ſunt omnia animalia, forſitan et vegetabilia, et quoque foſſilia, quodammodo, eadem gaudent facultate. Quomodo autem, hoc efficitur, ab aliis percipi non poteſt, quia ſuae fabricae non ineſt vitae principium, quod talem habet poteſtatem.

Principium, quod nec perire, nec mutari poteſt, homines et omnes animantium ordines inferiores,

pervadit; omnibuſque diverſis formis, ordinem, pulchritudinem, et plenitudinem, mundo univerſo praebentibus, intime adhaeret.

Multiplicem vitae formam in corporibus conſtitutam ſe reddere manifeſte aptis, demonſtrare non poſſumus. Haec immenſa vitae varietas, menti philoſophi facile occurrit: vulgi oculos omnino latet. Non admirari nequimus contemplantes, quae, ſumma inſtructus ſapientia, creavit Deus, opera magnificentiſſima, ſplendore fulgentia, ſimulque ornatu gaudentia ſimpliciſſimo.

Si aliquid de Natura, per quas conſpicimus formas innumeras ac diverſas, intelligere velimus, ad principium, quod has omnes pervadit et afficit, animum ſemper advertere oportet. Aſſentientes vero unum idemque principium, omnia quibus adeſt corpora pervadere, quoad fabricam diverſam horum corporum tantum differre, varios quos edit hoc principium effectus, facilius perſequi et obſervare poſſumus.

Omnia, eodem modo, facta et diſpoſita, corporibuſque ejuſdem generis donata, ſimiles actiones, ac ſpeciem vitae unicam praebuiſſent. Deus autem cuncta providens, mundum fecit variis vitae formis plenum. Ceſſant nunquam hae formae, novas ſubi-

re mutationes : ſed principium, quo praeditae ſunt, idem ac immortale eſt. In plurimis et diverſis corporum formis quae oculis obverſantur, quicquid potuit fieri, ab univerſa intelligentia conſilioque ſapientiſſimo efficitur.

Dum hanc rem inveſtigare conarer, quae eſſet vitae ipſius natura, vel quomodo primum exiſteret vita, explicare non poſſe, haud ignarus ſum. Quae enim ſit vitae natura, Auctoris eſt explicare. Hominis eſt, rem adeo obſcuram juſto praeterire ſilentio.

Quae ſint rerum cauſae primariae, nullus ſana mente, auſus eſt dicere ; nec, in ſtatu hominis praeſenti intelligere quae ſint, opus eſt. Cum GRAVITATIS rationem reddere volumus, legibus ATTRACTIONIS, qua omnia ad terram feruntur, vim ſubjici iſtam, plerumque dicimus. Vitae rationem reddentes, ad id quod ſtimulis ad agendum incitetur, in promptu eſt referre. Varias vitae formas contemplantes, ad formam et fabricam corporum diverſam attribuimus. Hic vero fiat queſtio, quem habet nexum vis iſta attractionem efficiens, cum materia quae, hac vi, affecta eſt ; vel quam habet ſimilitudinem vitae principium, ad quos edit effectus, ſtimulis incitatum ; aut, quomodo ſpondeat alicujus

organi fabrica, effectibus ſibi propriis. Haec omnia jam dicta, ſine dubio, legibus naturae certis conſtituta, ſummoque conſilio ordinata et compoſita, mens hominis improvida intelligere non poteſt. Si vero ulterius, in hoc curſu progredi conemur, res explicatu difficillimae occurrunt. Hic effatum edit Natura, HUC USQUE, SED NON ULTRA.

Leges, vitae principio, in omnibus rebus corporeis, exiſtenti, impoſitas, ſive in fabrica menti humanae propria, vel in vegetabilium functionibus, vel in foſſilium attractione, conſpiciatur, philoſopho recta ratione ducto, inveſtigare licitum eſt. Humana ſcientia, hiſce legibus accurate obſervatis, excolatur multum, ac augeatur.

Ad excolendam, hoc modo, veram philoſophiam, attentionem animi diligentiſſimam adhibentes, Baconus, Newtonus, Lockius, aliique ſcientiae cultores clariſſimi, famam ſibi ſummam obtinuerunt. Lege attractionis, a Newtono obſervata et explicata, hic vir ſagaciſſimus, nimio ſcientiae ardore ſublatus, juſtum et rectum rationis tenorem reliquit, cauſamque primariam, aetherei ope fluidi, quod mundum pervadit univerſum, explicare feſtinavit. *(a)* Hoc nequicquam

(a) Jam hic, quam alias ubique rebus veris ſtandum, lubrica cauſarum utpote fere incomprehenſibilium queſtio, venenatus

conatus, philoſophiae verae injuriam attulit, et documentum dedit a priore ſucceſſu longe diverſum, quam pronus fieret, effraenata mente, fines humanae ſcientiae impoſitos excedere, perque avias fictionis regiones, ſine duce, errare. Conſcius erroris, nihil eſſe difficilius agnoſcit, quam, quae ſit vis vitae natura, explicare et in medium proferre. Solertiſſimi homines nequibunt unquam perſcrutari res adeo obſcuras, quae divinam Majeſtatem ab incurſionibus humanae cupiditatis adumbrant et tuentur, atque fines humanae ſcientiae extremos deſcribunt.

DE IRRITABILITATE.

Non ſolum maximam habet affinitatem Irritabilitatis vis, vitae principio, ſed unum idemque principium abſolvere reperietur. Irritabilitas, varias vitae formas et functiones, in corpore animanti, indicat. Iſtum, qui eſt, nexum, inter fibras vita donatas,

ille philoſophiae anguis cum cura fugienda. Nequis igitur per modo relata dicta, incitabilitatis naturam reſpici : aut an materia ſit ut ſic modo augeatur, imminuatur :—— an adhaerens materiae facultas nunc vigeat—— nunc langueat — definiri : aut ullo modo reconditam queſtionem attingi, quam magno ſcientiae malo ſemper fere factum interpretatur.

Brown Elem. Med

quoſque praeſtant res hiſce fibris admotae effectus, oſtendit. Carens irritabilitate, vis vitae affici non poteſt: hac vi praeſente, omnes vitae functiones efficiuntur.

Magni erit momenti, leges irritabilitati impoſitas, inveſtigare, tum quod naturam habet peculiarem, tum miros tamque generales edit effectus. Variae Theoriae in medium prolatae, quantum lucis, rei adeo obſcurae, potuit afferri, praebuerunt.

Praecipua irritabilitatis lex, ut jam antea dictum, ad quandam corporis fabricam, quae, vitae ipſi, ſuas primum praeſtanti functiones, propria eſt, ſe jungit. Adeſt haec vis minimis corporis animantis fibris, atque facultatem agendi peculiarem aſſumit, prout corporis partium diverſa eſt fabrica. Analogiam, inter actiones, vitae animali, in corporibus diverſis, proprias, ac diverſas, in eodem corpore, actiones effectas, obſervare poſſumus manifeſtam.

Varie afficitur haec vis, fibris indita muſculoſis, prout variant ſtimuli ſibi admoti: atque haec vis variis modis affecta, omnes, quas conſpicimus vitae actiones diverſas, explicat.

Si opus ſit aliis, de hac re, documentis, ad experimenta ex compoſito cum animalibus vivis inſtituta, decurratur. Cor Ranae, exempli gratia, e corpore

extractum, ſtimuliſque admotis, multas per horas, contrahere non ceſſabit. Viperarum et Teſtudinum quoque corda, per viginti aut triginta horarum ſpatium poſt mortem, contractiones edunt.

Inteſtina exſecta, et in partes diviſa, ſtimuliſque aëris atmoſpherici ſolum ſubjecta, motus, quodammodo, motui periſtaltico in corpore acto, ſimiles praeſtant. Irritabilitatis principium, quod haec manifeſtum reddunt experimenta, facultatem agendi corpori animali datam, a Senſibilitate (de qua poſtea agetur) minime pendentem, ſatis demonſtrat.

Diverſae corporis partes, ſuas rite praeſtantes functiones, characterem vitae humanae certum ac diſtinctum faciunt. Ut vita totum pervadit mundum, ſic forma ejus conſpicua vim irritabilitatis afficit.

Ad hoc principium fuſius explicandum, non ab re alienum videbitur, pauca, de ſtimulis qui afficere atque ad agendum incitare ſolent, in medium proferre. Horum ſtimulorum praecipui et manifeſtiſſimi ſunt, Calor animalis, Alimentum, et Vis generis nervoſi. Alia quoque exempla, de hac re, adducerentur. Quae jam dicta vero rite perpenſa, quae oriuntur actiones, ex plurimis rerum ſtimulantium formis, ſatis indicabunt.

A re digredi, ut calorem animalem inveſtigarem, non licebit. Obſervandum eſt tantum, calorem animalem, ex quibuſdam, quas ſubit ſanguis, in ſuo per pulmones tranſitu, mutationibus, oriri. Calor ita comparatus, circumeuntium ope fluidorum, per omnes etiam minutiſſimas corporis partes, diſtribuitur. Dubitari non poteſt, quin ſtimuli vitae valde neceſſarii, una cum ſanguine per corpus vehantur. Sanguinem enim, ullo modo, impeditum, morbus et mors ipſi citiſſime ſequuntur. Vitalem aërem conferunt pulmones. Ex chylo conficitur quaedam materia ita diſpoſita, utpote aëri vitali, a pulmonibus comparato, admixta, incitare atque renovare corpus animans, fiat apta.

Sanguis ex materia conſtat quadam, quae a partibus corporis ſolidis, quoad denſitatem ſolum diſcrepat. Quamvis enim ſanguini, ut fit partibus corporis ſolidioribus, admoveri non poſſunt ſtimuli, tamen ex ſuis mutationibus ſimiles pati affectiones, ab eodem principio procedentes, manifeſtum eſt.

Diverſae ſanguinis partes, quae ſunt Rubrae particulae, Lympha coagulabilis, Serum et Aqua ſuperflua, mechanice confuſae, ſibique invicem miſtae, mirum in modum, ad ſervandam fabricam conſtituentem immutatam, aptae ſunt. Una parte ſan-

guinis chemice ſoluta, non omnino pereunt reliquae; ſanguiſque, aliqua ex parte, mutatus, proceſſu peculiari, ſanguinem elaborante, facile reficitur.

Magni eſt momenti, ad opinionem accedere, idem, ſolidis ac fluidis corporis partibus, ineſſe principium, quia multum prodeſt, iſtam ſtabilire phyſiologiam, quae vires vitae, cauſaſque morborum, ex eodem irritabilitatis principio ducit. Hoc modo etiam, quam vana et infirma ſint argumenta, quibus nititur Pathologia Humoralis, oſtendere poſſumus.

Patet manifeſte, medicam philoſophiam ad accurate obſervandam vim vitae, per omnes, quas ſuſcipit, varias formas, inclinari oportere. In quibus variat haec vis vitae, nemo non conſilio, in ſua arte, ſummo ductus, percipere poteſt.

Vis Generis nervoſi amplum dat locum ſtimulorum actionibus. Quibuſcunque rebus afficiatur animus, hae omnes, fibras irritabiles excitent, actioneſque, minus vitae ipſi, quam externis vitae commodis, neceſſarias, praeſtent. Neque ſane aër purus, neque alimentum, conſtantiores aut certiores, quam genus nervoſum, edit effectus.

Impreſſiones ab externis et internis ſenſibus factae, agere et firmare totum corpus nunquam ceſſant.

Nullo tempore adeſt animi conſcientia, ubi, pro rata parte, non afficitur corporis irritabilitas.

Haec vis, qua corpus animans affectum, ad agendum excitatur, tam manifeſta eſt, ut vix quidem erit neceſſe, de plurimis ejus conditionibus, aut de ſtimulis innumeris variiſque, quibus afficiatur, plura dicere. Obſervare licet tantum, ut omnes ſtimuli, ſive MECHANICE, ſive CHEMICE corpori admoti, hanc vim afficiunt.

Apparet igitur, ex his jam dictis, corpora animantia, hac vi irritabilitatis donata, per omnes ſuas partes, vitae principium reddere apertum. Genus quoque nervoſum, non minus quam glandularum, ligamentorum, et oſſium fabrica, hoc ex fonte, omnem haurit vim; atque nervi, quadam vi derivata, haud aliter ac aliae corporis partes diſcrepantes, ad excitandum corpus, edunt effectus. (a)

(a) Sequentia experimenta a Redi tradita, hoc argumentum maxime firmant. Vipera obtruncata, quaedam in hortoambulacra, peragravit. Struthio, eodem modo ictus, ad ſolitum perfugium, quodam circuitu, viam faciebat. Gallus gallinaceus ſecuri percuſſus, impulſu actus, ad grana frumenti paulo ante oblata, curſum tenebat. Teſtudo, cujus vis, ratione ad teſtam ponderoſam reſpiciente, habenda ſit immanis, vivebat ſine capite per aliquot menſes.

His adjiciam, foetus, cerebri, cerebelli et medullae ſpinalis expertes, in lucem editos eſſe vivos.

Hydrocephalus interdum, ſtragem edidit tam terribilem, ut, cadaveribus inſpectis, totum cerebrum ſolutum eſt, et nihil praeter membrana, repertum eſt. In quibuſdam exemplis, partibus cerebri non rvis perditis, omnia bene verterunt.

DE SENSIBILITATE.

Munus ſentiendi, iſte irritabilitatis effectus definiatur, quo fabrica Generis nervoſi peculiaris fungi dicata eſt. Etſi genus nervoſum, in analyſi ſcientifica, irritabilitati praebeat fundamentum, alias tamen actiones perficit, ex quibus oritur argumentum, quod contemplari poſſumus, excelſiſſimum.

Si non potuit fieri, ut vitae principium, irritabilitatis expers, locum haberet, ſine genere nervoſo, quod eſt ſentiendi origo et cauſa, omnino abfuiſſet intellectus.

Rationibus, ex rebus inter ſe comparatis atque ex animi conſcientiae effectibus, deductis ac rite perpenſis, aliquid ſentiendi facultate carens exiſtere poſſe, concipere vix poſſumus. Sentiendi facultatem lapidibus non contingere, ſumus proni affirmare. Magis eſſet verae philoſophiae conſentaneum, ſi, aliam vitae ſpeciem, a vita animali diverſam, habere lapides, dixerimus. Ratio humana, modos ſentiendi ſubtiles ac innumeros, quibus gaudet materia vita

Obſervatum eſt, Auctore Deſſaulto, ut omnes motus inviti, etiamque voluntarii, poſtquam diviſa fuiſſet medulla ſpinalis, biduum functiones praeſtiterunt. Vis muſculorum contractilis, affirmavit Blanius, in animalibus cerebro deleto interfectis, agere diutius perſtat.

donata, comprehendere aut intelligere non poteſt. Qui afferat, nervos eſſe foſſilibus, ad opinionem non minus abſurdam, quam falſam, accedit: ſapientiam vero ſupra humanam affectat, negans, ut fabrica foſſilium, iſtum occupare locum, cui aſſignata, minus apta eſt, quam materia, in formas animantium perfectiſſimorum, redacta.

Ope ſentiendi, nosmetipſos reſque externas exiſtere docemur. Hujus ope etiam mens humana creſcit, augetur, ampliatur.

Ad hanc rem ulterius inveſtigandam, finibus orationis hujuſmodi ſolitis excedere opus eſſet; non autem ab re erit alienum obſervare, quomodo varii animi affectus, corporis functiones afficiunt. Ira, Gaudium, Spes, Metus, Moeror, quoſdam, ſibi proprios in corpore motus, cient, atque haud raro, morbidas in eo affectiones praeſtant. Hi ſtimuli, animum moventes, diverſa vi, diverſoque modo agunt. Exempla non deſunt plurima, ubi vehementi ira rapti, mortem ſibi conſciverunt citiſſimam. Functiones corporis propriae, ſtimulis hujuſcemodi ſubito ac plus aequo admotis, fere fiunt abnormes, vel omnino extinguuntnr.

Memoriae traditur, Viatorem Piſanum Venetorum claſſis praefectum, ac virtute inſigni ſpectatiſſi-

mum, quum cives ſuos ignavos victos audiviſſet, ira tam vehementi captum eſſe, ut morte abreptus ſuerit ſubita.

Gaudium ſimiles edit effectus. Chilo Lacedemonius, ac ſapientium Greciae habitus unus, filium ludis Olympiacis victorem amplectens, animam expiraſſe dicitur.

Spes, ſuis ſtimulis peculiaribus, mirum in modum, functionibus corporis aliqua re difficili laborantis auxilio eſt. Ab Aequanimitate, Metu, ac Moerore oriuntur effectus, qui actiones ſuae naturae proprias referunt.

Quam habet vim in corpore genus nervoſum, maximi erit momenti ſcire; quia hac notitia inſtructi, oſtendere poſſumus, qua vi, materia alio modo in corpore animanti diſpoſita, quaſdam praeſtet actiones. Quae ſit morborum forma diverſa, quomodo totum pervadit corpus vis vitae, ſimulque in quibuſdam corporis partibus magis minuſve manifeſta, explicari poſſent. Hiſce igitur argumentis, ad opinionem aſſentire ducimur, ut vita ipſa inſit fabricae omnis fibrae animalis, atque expers facultate, qua, prout res animantium poſtulent, ad motus praeſtandos excitetur, omnino ſuiſſet iners et inutilis.

Hinc patet, hiſce conceſſis, a felice ſtatus vitalis

concurſu, qui, ad reddendas omnes varias functiones corpori animanti proprias, aptus eſt, pendere ſanitatem.

DE SANITATE ET MORBO.

Si vis vitae proprietatesque ejus maxime neceſſariae conſpirent, atque ad prodendam corporis ſanitatem ſe inclinant, non eſt incredibile, hunc directum et inaeſtimabilem effectum ſemper accidere, atque eodem tenore, dum corporis functiones minime turbantur.

Vis vitae igitur ad amuſſim excitata, et functionibus corporis rite perfectis favens, ad ſanitatem ducit. Ullus alius corporis ſtatus, etiam minime diverſus, ſit morbidus. Nullum quidem alium inter ſanum ac morbidum corporis ſtatum agnoſcit phyſiologia, ſed morbidam conditionem, prout magis minuſve, aut dolore affectum, aut a ſanitatis ſtatu aberrans, corpus indicat. Ad hoc accedentes quidam, ſtatum corporis praediſponentem inferendo morbo eſſe neceſſarium, exiſtimarunt. Rationi aeqne conſentaneum eſſe duco, affirmare, aliquem, ſine cauſa, exiſtere non poſſe morbum, vel incipere priusquam creſcere. Hic manifeſte apparet error, opinionem talibus ful-

tam rationibus prodere, omnem ſtatum corporis abnormem, ex cauſa hunc referente, oriri.

Diu lateant in corpore ſemina morborum, dummodo lente vigeant, progreſſu temporis, ſanitatem afficient. Hic ſtatus corporis dicitur AD MORBUM PROCLIVITAS, quae revera, eſt morbus ipſe, etſi adhuc in corpore latet, ſenſibuſque non ſit manifeſtus.

Noxii ſtimuli, qualeſcunque ſint, motus ſanitati adverſos, excitantes, vim vitae inſidioſe abſumunt, fiuntque validiores, effectus edentes immaniores, prout haec vis magis minuſve minuatur. Multis in caſibus, ubi naturalis corporis ſanitas validiſſima eſt, ad ſanitatem, ullo modo, mutandam, vel morbum inferendum, impetum nequicquam facient tales ſtimuli. In hoc conſtat vera vis medicatrix naturae, quae corpus ab omnibus, functionibus naturalibus inimicis, tuetur.

Quacunque vi actiones ad ſanitatem pertinentes, nomine NATURA dictae, ad tuendas morbidas affectiones perficiuntur, huic fundamini innitens vita ſervatur. Corpus animans minus tenax vitae, injuriis extrinſecus illatis haud reſiſteret, atque infantiam raro intereſſet.

Proclivitas ad agendum, quaedam eſt conditio fibrae

animalis quae prior extabat formae quam poſtea ſuſcipit: nec ullo alio modo intelligi poteſt, quam veluti germen quod fructum praecedit.

In eadem re variae ſint conditiones: immutabile vero eſt principium, a quo haec res pendet. Unum idemque eſt principium vitae infanti qui jam in lucem editus, ac quum, labentibus annis, vigore et robore auctis, ad virilem aetatem provectus fuiſſet.

Germine perdito, perit quoque flos expectatus. Haud aliter proclivitatibus ad morbos occurrere oportet prius, quam morbida affectio, incrementis virium acceptis, ſecundae valetudini injuriam attulerit.

Quo perpenſius et latius vitam animalem contemplamur, eo plus patet, quo ſimplice modo omnes, cujuſcunque generis, morbi efficiuntur. Sed opus eſt multa obſervatione diligenter ac diu adhibita, morbos ita accurate dignoſcere, ut, remediis ad illos ſummovendos neceſſariis, cum optato ſucceſſu, uti queamus.

Scientia medica, in principio ſimplex eſt, uſus autem ejus difficilior. Aliquem immani morbo correptum, ac cum maximo periculo verſatum, proſpicientes, parum ad rem attinet ſcire, corpus extra modum excitari, motus ejus vel ſuperare, vel deficere,

aut morbum formam ſuſcipere peculiarem, ſi, hiſce cognitis, laeſam valetudinem reficere non poſſumus.

Summo utendum eſt conſilio, ad curandos etiam leviſſimos morbos, ſi ad terminum felicem ducere ſperemus. Medicus enim maxima experentia donatus, quae ſint mutationes in progreſſu alicujus morbi, vel qui ſit eventus, an fauſtus aut infauſtus, quamvis ſaepe maxime probabilis, dicere vix unquam audebit. Sed de incerto morborum fine, deque conſilio, quo uti debent medicinam facientes, in ſequente hujus diſſertationis parte, pauca dicentur.

Si conſtaret humanum corpus ex unico organo, cujus functiones eſſent ſimiles, ratio unius fabricae tantum, ad explicandas varias morborum formas admitteretur, atque a ſano hujus organi ſtatu, penderet proſpera valetudo. Corpore autem humano ex diverſis compoſito partibus, diverſaque munera perficientibus, quarum aptitudo, tum ſpecialis, tum generalis, ad conſervandam totius corporis ſanitatem, maxime eſt neceſſaria, multo magis variantur et multiplicantur morborum formae.

Quamvis diverſae corporis animantis partes, a quodam mutuo inter ſe nexu pendent, ut quendam generalem effectum edunt, aliae tamen aliis ſympathia minus afficiuntur: atque hoc conſortium ſympa-

theticum certis partibus plus minuſve intercedens, morbos, vel cujuſdam partis, vel totius corporis, producet. Viſcera vitae ſacra, raro fiunt morbida, ſine morbidis totius corporis affectionibus. Cor febre correpti, ad motus vehementes, qui totum pervadunt corpus, cietur. Omnibus partibus corporis aeque ſanis exiſtentibus, ſymptomata ſunt univerſa, atque, paroxyſmo peracto, evaneſcunt. Quod ſi genus, vel nervoſum, vel arterioſum, vel lymphaticum, aut quaevis thoracis vel abdominis viſcera ſint morbida, certa ſigna, naturam et vim morbi referentia, producentur. Hinc morbus fit periculoſior, pro rata parte, univerſae et partiali corporis valetudini, ac violentiae, qua aegrotus afficiatur.

Vis morbi, longius latiuſque, a prima ſede, vagans, quoad proprias partes imminuitur, quoad totum corpus, augetur. Quum quaevis organa, exempli gratia, Cerebrum aut Ventriculus, motu aliquo abnormi, excitentur, fabrica horum propria in multo eſt diſcrimine, donec vis partialis, ad alias corporis partes, ſe contulerit.

Vis vitae non abundat quibuſdam partibus, dum aliis defecerit; nec una pars plus appetit vitam, quam alia: Si res ita ſe haberent, quaedam partes, ſibi morbos haud raro injicerent. Modus ſanitatis eſt univerſus, omneſque vitales actiones, ad ſuſti-

nendam ſecundae valetudinis rationem, eunt inclinatae.

Vita ex loco vel ſitu non variat; unica igitur quam ſubit mutatio, vim peculiaris fabricae corporis, cui ineſt, refert. Muſculi, oſſa, aliaeque diſſimiles corporis animantis partes, vitiatae, eaſdem cauſas agnoſcunt; ſed fabrica ſibi propria donatae, reddunt morbos, qui videntur diverſi. Cuticula, cutis vera, membrana celluloſa, textus nerveus, vaſcularis, muſcularis, ligamentarius, et oſſeus, gaudent eodem vitali principio, ſimilibuſque partibus conſtituentibus, compage autem vel fabrica valde diverſa, quae, varias corporis partes, ad ſuſcipienda propria munera, et exercendas proprias actiones, reddit aptas.

Nomina morborum, ex parte corporis vitiata, derivare, aeque rectum ac planum patet. Genus Nervoſum, exempli gratia, ullo modo, motus plus juſto vehementes, aut deficientes praeſtans, morbus proprie dictus eſt Nerveus. Quando vero omnes affectiones morbidae iſtius fabricae materiae, cui nomen Nervi inditum eſt, in principio ſimiles ſunt, formam, quam ſuſcipiunt, ſolum variantes, Methodus, ut mihi videtur, Noſologi inter recentes inſtituta, nimia arte confecta eſt, quum tam multos morbos diverſos, ſub Claſſe, Neuroses, dicta, an-

numeraſſet. Haſce quoque verbis, de morbis generis arterioſi, ad Claſſem PYREXIAE dictam, pertinentibus, uti oportet. (*a*)

Erraverunt Noſologi, hac ratione morbos ſub claſſibus inſtituendi, parum recte exiſtimantes, morbos aſpectum ac formam eandem raro praebere. Morbi quidem quamvis interdum videantur ſimiles, prout cauſis abditis atque difficile detectis affecti, varientur. Nec quod jam dixi, ſub tenebris latet, ſi memoria teneamus,ut, actionum et munerum corporeae fabricae, neque rationes reddere, neque effectus notare poſſimus.

Omnes morbi, quibus corpus humanum ſit obnoxium, ſub variis formis a peculiari fabrica pendentibus, in conſpectum veniant, ſi effectus inflammationis, vel actionis in corpore auctae, animadvertiſſemus.

Hic quidem obſervandum eſt, ut omnes morbi, magna ex parte, a ſtatu vigoris in corpore pendent: ſimul vero fas erit dicere, organa ad praeſtandas

(*a*) Nam in adminiſtrandis remediis memoria ſemper tenere oportet, non nominis morbi ſolum, neque ſane generalis ejus naturae, rationem eſſe habendam, ſed multas vel minutiſſimas ſaepe res eſſe reſpiciendas, tum quae ad morbi originem et cauſas et indiciorum varietatem et conjunctionem, tum quae ad aegri ſtatum et vires et peculiarem forte corporis conſtitutionem, attinent.

Greg. Conſpect. Med.

proprias functiones dicata, ut Cerebrum, Pulmones, Ventriculus, Hepar, Inteſtina, Teſtes, propria ſua fabrica, propriiſque muneribus multum affici. Motibus, qualicunque ex cauſa, plus ſolito cerebrum afficientibus, dolor eſt capitis: hi motus autem facti vehementiores, morbum violentiorem producent.

Ut valetudo univerſa, ab univerſa aptitudine functionum corporis pendet, aliqua ex hiſce functionibus laeſa, totum corpus, aut hae ſaltem partes, quibus intercedit ſympathia, quoque laeduntur. Hiſce ex cauſis jam traditis, morbus ortus, apparet ſimpliciſſimus, quique, prout res variant, diverſam habeat vim, per omnes formas, a valetudine, minima ex parte, adverſa, ad actionem inflammatoriam maxime auctam.

In quibuſdam corporis morbis, natura provida, methodum medendi ſibi miniſtrat. Hoc ſaepius accidit his morbis, qui, nimio vigore producuntur. Vehementes corporis actiones, ad vim fibrarum moventium temperandam, et vigoris exceſſum, a quo pendet morbus, minuendum, valent.

Morbis quoque, ex deficiente ſolito robore, orientibus, occurrunt actiones auctae, quibus fibrae moventes, vigorem praeter ſolitum minutum, reſi-

cere conentur. Ad curandos autem hujus generis morbos, pluribus opus eſt remediis, quam qui ex vigoris exceſſu naſcuntur: tum hi, tum illi vero, ad eventum ſaepe felicem, ultro ducunt.

Pulmones morbis correpti, ex ſua natura et muneribus, multum periclitantur, atque raro, ſaltem difficillime curantur. Quam ſalutaris, et quidem maxime neceſſaria ſit reſpiratio, pulmonibus ſanitate fruentibus, veriſimile eſt, ut, illis vitiatis, ſtimulo eſt nimis acri.

Haec quoque ventriculo ſolent accidere. Ventriculus ſanus, nullas morbidas, ex cibo, in eo, confecto et elaborato, affectiones prodit; vitio autem mutatus, cibum ſalutiferum, non ſolum faſtidit, a ſucco etiam gaſtrico, ex ſuis vaſis ſecreto, vehementer excitatur. Ventriculus praeter conſuetudinem motus cum aliis corporis partibus communes agit: ſed ex decem morbis in corpore naſcentibus, novem, vel directe vel indirecte in ventriculum invadunt. Morbis ventriculi periculum injicitur, non tam propter ſe, quam propter iſtum conſenſum generalem, qui inter hoc organon et reliquas partes corporis intercedit.

Hepatis morbi, ſua peculiari fabrica, propriis muneribus fungente, notantur. Hoc viſcus vitiatum,

quam quaedam alia viſcera, minus, incitatur. Actio autem hepatis inflammatoria, non in principio, in aſpectu et vi tantum, a ſimili affectione, in cerebro, pulmonibus, ventriculo, et teſtibus, inducta, differt.

Vim majorem afferunt morbi, quo longius, a ſtatu ſanitatis, aberrant: ſed haec vis, prout major vel minor ſit, ad naturam aut fabricam partis vitiatae, certam ſemper habebit rationem. Vehementiores edit effectus inflammatio, quo tenuiora ſunt vaſcula alicujusmembranae in quam inciderit.

Manifeſte patet, ut modus, quo vis vitae materiae ineſt, formas aut ſpecies morborum dignoſcet. Igitur Morbi teſtium, lymphaticorum, ligamentorum, ac textus celluloſi, a glandularum inguinalium vel axillarium, arteriarum, oſſium, et cutis morbis, apparent diverſi.

Si minimae fibrae muſculorum majorum ad motus inſolitos excitentur, inflammatio ſequitur: ſin vero, fibrae minutiſſimae fabricam membranorum aut vaſorum ſecernentium conſtituentes, hoc modo cieantur, hae quoque inflammantur. Huic Eryſipelas, illi Phlegmone, nomen impoſuerunt phyſiologi.

In Phlegmone, fibrae muſculoſae, majore vigore, ex ſua natura et muneribus, gaudentes, ſanas actiones diutius ſervant, ac vi non facile vincenda, inflammati-

onem impediunt.

In Eryſipelatoſa inflammatione, naturali robore partis vitiatae minore, motus ſunt vehementiores, quibus, haec ſpecies inflammationis facilius inducitur, ac latius vagatur.

Si morbi omnes, motus vel totius, vel ſingularum partium corporis inſolitos agnoſcant, vis et ſpecies, ſub quibus agunt, cum diverſa fabrica ac irritabilitate, diverſis corporis partibus, propriis, conſenſum habere reperientur.

Hoc igitur modo, quae ſit vita, atque valetudo corporis, et proſpera, et adverſa, explicare conati ſumus; ex quibus fabrica et functiones animantium diverſae, rebus externis inductae, manifeſte pateant.

Corpus animans dicatur Microcoſmum referre. Mundus miram ac multam rernm diverſitatem praebet; ſic vita in corpus animans agens, ſit apta, peculiari fabrica, ad conſtituendam mentem ſuis facultatibus donatam, et corpus pollens viribus, ad reddendas ſuas functiones. Quis autem dotes animi tam eximias, vireſque corporis tam mirandas, verbis ſatis perſpicuis, exprimere poteſt?

FINIS.

GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY